*

ORATIO

DE SANCTISSIMO HISPALENSI ARCHIEPISCOPO

DIVO ISIDORO

INCLYTO DOCTORE,
AC HISPANIARUM PRIMATE
RECITATA
CORAM ILLUSTRISSIMO,
CLARISSIMOQUE,
SANCTÆ METROPOLITANÆ,
AC PATRIARCHALIS ECCLESIÆ
PRÆLAUDATÆ
CIVITATIS HISPALIS CAPITULO,
IN EIDEM BEATISSIMO PRÆSULI
SACRO COLLEGIO
AB EJUS COLLEGA

D. JOSEPHO GARCIA
ET LUNETO,

PRIDIE NONAS APRILIS
M. DCC. LXXXI.

HISPALI excudit Typificus Major.

D. LICENCIATO D. ALVARO RODRIGUEZ de Valcarcel et Vargas, Tous de Monsalve, Zuñiga, Sotomayor, Cespedes et Davila, Collegii Majoris Conchensis Universitatis Salmantinæ Collegæ, pro Canonicatibus Ecclesiarum Pacensis Penitentiario, et Hispalensis Doctorali Competitori, Canonicatu Præfectura Chori, ac Dignitate Sanctæ Placentinæ Ecclesiæ maxima laude functo, Sanctæ Cruciatæ Judici, Regiis à Consiliis, Sanctæ Inquisitionis Tribunalis Ellerenensis Quæsitori primo Honorario, et in præsentiarum Sanctæ Metropolitanæ, ac Patriarchalis Ecclesiæ Hispalensis Canonico,

Domino, ac Mæcenati indulgentissimo hanc Eximii Doctoris, ac Præsulis DIVI ISIDORI laudationem devotissima pietate sacrant ejus observantissimi Clientes

Didacus Martinus Ayllon et Sacedon.

Eduardus Azcona Muñoz de Vaena.

Antonius Martinez de Aponte.

Josephus Perez de Reyna.

ORATIO.

CUM beatissimi Hispaniarum Doctoris Isidori laudes exprimendas suscipio (Illme. hujus almæ Metropolitanæ, ac Patriarchalis Ecclesiæ Senatus, nobilitate, virtute, sapientia, et religione clarissime: cæteraque omnium adstantium ordinum spectatissima Corona:) Cum beatissimi Hispaniarum Doctoris Isidori laudes exprimendas suscipio, atque virium mearum imbecilitatem, et temporis mihi ad orandum dati brevitatem considero, perturbor. Nec mirum vobis, auditores, videbitur, tali causa, qualis oblata est mihi, cujuscumque etiam disertissimi Oratoris animum conturbari. Itaque non tam me oratorij muneris dignitas, ac præstantia impellit ad dicendum, quam à dicendo deterret difficultas. Nulla enim in quoquam dicendi vis amplissimi Isidori meritis par poterit reperiri, aut ulla temporis longitudo ipsi suffectura, qui tam copiosi, ac multiplicis argumenti partes pertractare, ac persequi voluisset: præsertim cum agendum esset de clarissimo Hispalis ornamento, et in hoc sanctissimo loco, et ad dicendum amplissimo, cujus præstantia, et gravitas tanto

mihi timori est, quanta præfulget sanctitate, et amplitudine. Vereor etiam de maximarum rerum ab Isidoro gestarum varietate, quæ tot,ac tantæ sunt, ut cum ab ijs,qui summam in dicendo profitentur ubertatem, comprehendi non possint, et earum magnitudine fides, memoria multitudine laboret,tam ampla, et redundans agenti mihi sese aperit materia, ut non unde sumendum mihi sit principium perspici opporteat, sed instituti sermonis sit exitus requirendus. Cum autem omnem dicendi facultatem mihi defore sentiam; ad vos, præstantissimi Domini, clarissima Hispalensis Dioeceseos lumina, mea convertitur oratio: vestris oculis, vultuque acquiesco, ut orationem meam, quam volo esse quam brevissimam, quanquam serpentem,ac debilem, et ad exornandum, ut par est, tam eximium argumentum parum idoneam, benignis auribus excipiatis.

Qui Isidori res gestas præclarissime, ipsiusque virtutes, atque ingenij dotes humano modulo metiri conantur, licet ipsis nunquam ob incredibilem copiam deesse possit oratio, orationis modum, aut finem non invenient. Ipse enim ab omnium rerum conditore, ac conservatore Deo amplissimis ingenij dotibus, summisque animi virtutibus auctus ad Ecclesiasticæ Disciplinæ in dies miserrime labantis instaurationem, ad componendos dissides Principum animos, ad morum emendationem instaurandam, ad solidæ veritatis doctrinam promovendam, ad virtutum studia, ad errorum tenebras amplectenda, fugandas, missus est. Admirandus profecto vir, quem nulla sollicitavit ambitio, nulla honoris evexit cupido, nullus gloriæ stimulus inflammavit, omnia virtutis causa, proximorum salutis beneficio, Ecclesiæ decore patravit. Universa quidem literarum supellectili adquisita, sub sibi dilectissimo fratre, atque præceptore Hispalensi Pontifice Leandro, cunctas actiones suas ita fuit moderatus, et rexit, ut honestatis, ac virtutis leges studiosissime observaret, nec quidquam admisit, quod, aut à

persona, quam induit, aut à rebus ipsis, de quibus agere instituerat, alienum videretur. Hæreticorum deinde infestissima comminiscentium dogmata, proterviam insectari, audaciam compescere, et ad meliorem frugem eos adducere totis viribus incumbens, ita eorum in se concitavit invidiam, ut sibi ab illis insidias ad mortem paratas esse cognoverit: Cognovit et Leander, qui ei autor fuit, ut tunc tempori cederet, et à concertationibus cum Hereticis desisteret, fore enim sperans ut optime de Catholica fide mereretur, maximos de Hæreticorum cavillis triumphos reportaturus. Interea Isidorus mirum fuit quanto omnibus extitit exemplo, corporis aflictatione, laboris assiduitate, cæterisque virtutibus Catholicæ Religiónis integerrimum professorem decentibus. Ea enim tranquilitate, integritateque mentis pollebat et corporis, ea moderatione consilij, ea iujuriarum patientia, non ut animum assidua commentatione se vocatum, et abductum à societate corporis habere, sed ut ipsum corpus in mentis vim, et naturam plane mutatum, et conversum esse videretur. Non solum autem jejunijs, vigilijs, sacrarum scripturarum lectioni, et commentationi, atque omnibus pietatis operibus intendit, sed etiam cælestium rerum contemplationi vacavit, adeo ut ad illum perfectissimæ Charitatis gradum ascendens, extra se ipsum raperetur. Venio nunc ad maximum honoris gradum, quem habuit Isidorus, splendidissimum. Denato enim ipsius fratre Leandro, universo Clero, et Hispalensi populo volentibus, in ejus locum sufficitur Isidorus. In tantæ ergo Dignitatis fastigio collocatus, doctrinæ, pietatis, religionis, cæterarumque, quæ in eo eminebant, virtutum insignia, quodammodo sacris decorans Infulis, omnes illius ætatis Præsules sapientia, et rerum gerendarum peritia, privatos vero moderatione, et vitæ sanctitate præcelluit. Latissimus disserendi campus (Illme. Senatus) mihi

vestra hac audiendi benignitate nullatenus abusuro, pateret, si sapientiam, qua regere, doctrinam, qua instruere, exemplum, quo monere, disciplinam qua corripere, liberalitatem qua juvare, omnium sibi commissam, quotquot in toto, qua late patet, orbe sunt, amplissimam Ecclesiam satagit Isidorus, oratione saltem percensere voluerim. Verum non historiam texere, sed virtutes maximi hujus Præsulis mihi strictim percurrendas proposui. Ita enim id munus, in quo gregis sibi commissi salus agebatur, tanta alacritate suscepit, diligentia tractavit, gravitate confecit, ut exemplum proposuisse omnibus videretur, quales esse deberent, qui sacris decorarentur infulis. Totus igitur pro viribus incubuit in omnes, quotquot Hæreticæ pravitatis professores censebantur, insectandos, quod tanta animi magnitudine confecit, ut majore confici non potuerit. Eoque Catholica fides, et Religio magna undique eam obnubilantium tenebrionum profligata turba, caput attollere, et repullulascere videretur. Hinc illa inveteratis erroribus, quibus tunc Hispania nostra scatebat, depellendis constantia, in asserenda Romani Pontificis auctoritate sollicitudo, in confutanda Acephalorum hæresi, restituendaque pace, et tranquillitate Ecclesiæ animi magnitudo. Hinc illa apud omnes Hispaniarum populos gratia, et authoritas, penes quos tanta sanctitatis existimatione floruit, quantam nullus majorem habere potuerit.

Sed tot pertentantes animum curæ nunquam impedimento esse potuerunt, quin lectioni, et scriptioni librorum, quos dedit complures, et eruditissimos, vacaret; quin collegia, in quibus juvenes bonis moribus, et literis erudirentur, erigeret, quin ad populum verba faceret, quin denique pastoralis universa oficij munia sedulus impleret. Neque prætereunda nobis hoc loco videtur ejus solicitudo in promovendo Christiani cultus, ac religionis incrementum, cujus rei quam multa, et ea luculentissima afferre testimonia possem!

Ego enim sic sentio, cum ea nostri Præsulis Isidori erga hanc civitatem Hispalim merita extiterint, ut ipsam domi, forisque sæpius afflictam erexerit, diffidentem rebus suis confirmarit, civilibus, intestinisque odijs discussam, quiete tutissima recrearit, maxima nos ei, er singularia in perpetuum laudis ornamenta debere. Quid ad posteritatis memoriam proferri valebit commendabilius, quam rei Ecclesiasticæ, quæ in tota pene Hispania labefacta corruerat, restitutio? Quid ad compescendam audaciam, ad cupiditates coercendas, ad tollenda vitia, ad virtutes Christianas inserendas, utilius agere potuit, quam Concilio Provinciali coacto, quod miro Patrum conventu celebratum est Hispali, er omnis Divinitatis cultus, et cura sacrorum, er pietas in Divos, et emendatio morum, saluberrimis editis institutionibus, augerentur? Hunc vero, Auditores, tantum virum, tantis exornatum virtutibus; tantis laboribus exercitum, terrena jam cuncta perosum, è vivis excedentem intuemini. Exultat enim lætabundum Cœlum, insolitis gaudijs terra, dum stupescit, tripudiat, Tartara novum sibi terrorem incutiunt, quia in stupore terra, quia in horrore Tartarus, quia in exultatione Cœlum Isidori mortem demirantur. Sanctissimus ecce Præsul plenus jam sanctitatis, et divina quadam majestate verendus, licet exhaustis labore, et senectute viribus, animo corporis imbecilitatem sustentans, in Ecclesiam descendit, ultima verba ad populum facturus: ut erat è cœlo admonitus, sibi quanto citius esse è terrenis carceribus in æternam patriam emigrandum, sibi dilectissimum gregem oratione collaudat. Tunc consolari eos, qui aderant lachrymantes, exorsus, admonebat, non defuturum cælitus patrocinium, quod nec sibi quidem unquam in rantis rerum, fortunæque varietatibus defuisset: virtutem modo, et bonam mentem colerent, fidem servarent, bene consulta bonos eventus paritura: tunc defixis usquequaque ocu-

lis, omnes hilare intuens, brachia jam exhausta viribus attollens, manus in Cœlum levat, omnes benedixit, et expiravit. Hæc gloriosissimi Præsulis nostri Isidori migratio fuit è vita, imo profecto ad vitam potius, in qua omnipotentis Dei perfruitur gloria, et opem implorat et nobis. Nos autem ab eodem sine intermissione petemus, ut invictissimum Hispaniarum Regem Carolum Tertium Dominum nostrum salvum, et incolumem conservet: ut serenissimos Asturum Principes, decentibus Reges virtutibus ornatissimos, fruentes votis pro filio, spe magna Domus, atque Patriæ, quam diutissime vivere patiatur, ut virtutibus, literis, et rerum dexteritate gerendarum clarissimum, sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Eminentissimum, Indiarum Patriarcham, hujusque Hispalensis Diœceseos Exellentissimum Præsulem D. D. Franciscum Delgado, in summum felicitatis apicem pervenire, in eoque diutissime manere sospitem esse jubeat: ut Illustrissimi hujus Ecclesiastici Senatus, maximorum virtute, sapientia, nobilitate, et sanctitate virorum consessus, felicitatem, et gloriam, quam D. O. M. maximam esse voluit perpetuam esse velit, et immortalem: ut hoc juvenum sibi devotisimorum Colegium sua protectione custodiri concedat: ut denique nequa pars officij sui, cum in alijs rebus, tum in literis, virtute, et sanctis moribus addiscendis jure requiratur, efficiat. Hoc mente, corde pariter ac ore omnes concipimus, tenemus, precamur.

DIXI.